

buerat, etiam Corinthiis illis tribuit, quos olim his sceleribus immerfos, sed postea per Dei gratiam conversos prædicat. Ulterius quidem excipit Autor disputationis de statu Induratorum : Si inter Corinthios aliqui penitus indurati fuissent, dici tamen non posse, quod etiam illi abluti, justificati & sanctificati fuerint, cum Apostolus quosdam tantum Corinthiorum conversos dicat, nec rectè à particulari assertione ad universalem colligatur. Verùm Rappoltus non ita colligit : Quidam Corinthii sunt conversi, E. omnes Corinthii sunt conversi : Sed argumentum ejus tale fuit : Quidam ex Corinthiis, & quidem ex illis ipsis, qui in reprobum sensum dati fuerant, sunt conversi, E. datur regressus ab excœcatione & induratione ad pœnitentiam. Non dicunt Theologi nostri, omnes in sensum reprobum datos actu converti, sed potius cum *Selneccero* in Commentario ad Epistolas Paulinas Part. II. pag. 190. rarò ejusmodi homines converti statuunt. Rarò autem non idem est ac nunquam, quemadmodum plerumque non idem est ac semper. Interim negant, hominibus in sensum reprobum datis, dum adhuc in vita constituti sunt, omnem pœnitentiæ & gratiæ spem denegandam esse. Certè eosdem illos Romanos, qui membra sua impuritati & iniquitati ad aliam atque aliam injustitiam præbuerant, Apostolus hortatur, ut jam conversi membra sua justitiæ consecrent Rom. VI. v. 19. Cæterum dum *Autor disputationis* de statu induratorum *Rappolti* sententiam refutat, agnoscere cogitur, quod Autor Epistolæ ad Rostescherum erraverit, qui pag. 39. seqq. *Rappoltum* pro sua sententia tanquam sibi consentientem allegavit. Ephesios quantum attinet, notamus, quod Apostolus